

contrarium. Beatus enim Paulus in ea quæ ad Rom. est epist. cap. 13. ait: *Omnis anima potestibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi à Deo: & parum infra: Si autem malum feceris, time. Non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit.* Quæ autem pro se adferunt, parum propositum suum confirmant. Primo quidem obijciunt id quod Dominus apud Matth. ait, cap. 5.: *Ego autem dico vobis non resistere malo: sed si quis percusserit te in dexteram maxillam tuam, præbe illi, & alteram.* Huic enim objectioni August. responderi illud non esse operis præceptum, sed affectus: ut videlicet animus noster ita patienter toleret unius maxillæ percussione, ut paratus sit, si in alia iterum percuteretur, patienter etiam ferre. Potest etiam aliter responderi. Quid enim obstat eandem objectionem duplici modo rejicere? Potest enim, & non immerito dici, illam Salvatoris sententiam non pertinere ad præceptorum numerum, sed esse inter consilia connumerandam. Quod autem ita sit, ex immediate sequentibus facile censeatur potest, quoniam quæ immediate sequuntur, nullo modo ad præceptorum numerum spectare videntur, sed ad consilia, ut sunt illa: *Et ei qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei, & palium. Et quicumque angariaverit te mille passus, vade cum illo, & alia duo.* Quæ duo, nullus nisi mentis inops contendet esse præcepta, sed solum consilia viris perfectis data. Si ergo consilium est illud, inde convincitur dictum illud nullo modo Manichæorum sententiæ favere. Secundo obijciunt, virum Christianum debere præliari orationibus, & precibus ad Deum fufis, ut Deus illorum miseretur, & injuriam illis illatam ab eis repellat, & offendentes à sua mala intentione revocet. Cui objectioni respondemus concedentes, justum bellatorem debere orationibus ad Deum emissis præliari: quoniam (ut dicitur in 1. Macha. lib. cap. 4.) *non in multitudine exercitus victoria belli, sed de celo fortitudo est.* Nec tamen ideo abstinendum est à bello, & in universum rejicienda sunt arma, quoniam Moyse orante in monte, Amalech vincitur gladio Josue.

Secunda hæresis est Martini Lutheri: & nescio an paulo mitior, vel potius durior, aut atrocior quam præcedens, dicenda sit. Is namque ait, non licere Christianis bellare in turcas, quoniam (ut dicit) est repugnare voluntati Dei visitanti, & corrigenti iniquitates nostras per illos. Itaque Lutherus non ab omni bello arceat Christianos, sed à bello in Turcas gerendo, qua in re videtur mihi durior hæc quam Manichæorum sententia. Si enim Christiano licet adversus Christianum pugnare, qui fit ut adversus Turcam non liceat? In bello namque ut justum sit, causa potissimum exploranda est, à qua belli justitia pendet: quod si eadem causa, & multo urgentior est in bello adversus Turcam, quam in bello adversus Christianum, sequitur inde ut justius sit bellum quod in Turcam movetur, quam id quod adversus quemlibet Christianum geritur. Causa autem propter quam princeps movere potest bellum, est ut inde pax perfecta habeatur. Unde Augustinus in epist. ad Bonifacium comitem, ait: „ Non queritur pax ut bellum exercentur, sed bellum geritur ut pax acquiratur. Esto ergo bellando pacificus, ut eos quos expugnans, ad pacis utilitatem vincendo perducas.“ Hæc Augustinus. At pacem nihil magis conservat, & fovet quam justitia, & nihil magis perturbat, quam injustitia. *Justitia* (inquit Propheta Psal. 84.) *& pax osculata sunt.* Causa ergo propter quam

quis potest juste bellare, est justitiæ exequutio, & illius conservatio. Quo fit, ut si quis te occidere, aut percute- re injuste velit, tu juste possis ei obviare: & si quis per vim, & violentiam res tuas vellet à te rapere, tu juste possis illi resistere: & si forte jam surripuit, aut clanculo, aut alio quovis modo, & non patet alia via recuperandi nisi bello, tu juste potes movere bellum ut recuperes: modo in te sit auctoritas, & potestas bellum congregandi. Non enim ad quemvis spectat exercitum cogere, & bellum inire: sed, ut ait Augustinus contra Faustum, hoc est, solius principis munus. Cum ergo eadem sit causa adversus Turcam inveniendi bellum, & auctoritas, & potestas in Imperatore, & aliis Regibus Christianis non desit, sequitur ut æque justum, immo & multo justius possit adversus eos bellum moveri quam adversus Christianos, cum multo justior illic sit causa quam hic. Si enim Christianus Christianum invadit ut cadat, ut spoliat, & ob hoc alter juste resistit, nonne Turca Christianos invadit ut occidat, & spoliat? immo certe ut multo pejora agat: ut videlicet eos fidem negare cogat, & Christo, & ejus Evangelio renuntiare, ut nomen Christianum, si possit, ex orbe deleat. Nonne hæc pejora sunt? Si ob recuperandum patrimonium ab alio Christiano raptum, licet eum aggredi bello: cur non licebit etiam adversus Turcam pugnare, qui tor civitates, & oppida, ne dicam regna, & imperium à Christianis rapuit cum magno eorum dedecore, & maxima illata injuria? Si ergo adversus aliquem præliari licet, licere autem jam supra ostendimus, adversus nullum æque licebit, ut adversus Turcam. Machabæus pugnat adversus Antiochum, & alios Reges infideles pro religione, & fide, & cæremoniis, & in hoc facto laudatur. Cur non etiam laudabitur Christianus pugnans adversus Turcam pro fide, & religione? De hac re plurimæ extant Ecclesiæ definitiones, non per verba quæ docuit, sed per opera quæ exercuit, quibus nos verius exemplo quam verbo imitavimus. In Concilio siquidem apud Clarum montem sub Urbano secundo celebrato decretum est ut bellum adversus Turcas, fieret, in quo misit Urbanus profect. Post cujus mortem Paschalis secundus succedens (ut testatur Platina) bello cæpto favit. Calixtus quoque secundus habito Laterani nongentorum Patrum Concilio, ex eorum assensu decrevit, ut primo quoque tempore supplementa militiæ jam deficientis, Christianis in Asia bellum gerentibus subministrarentur. Qua spe (ut idem Platina scribit) erectus Balduinus Hierosolymorum Rex, Gazim Regem Turcarum minorem Asiam incolentium bello superavit, & in vincula conjecit. Lucius etiam tertius (eodem Platina teste) habito Veronæ Concilio Principes Christianos adhortatus est, ut Christianis pro fide in Asia laborantibus subveniretur. Quid ergo Lutherus contra tor testimonia verborum, & exemplorum præsumit docere, non licere Christianis bellum in- ferre Turcis? Certe, ut conjicere valeo ex ejus vita, & operibus mundo notis, hæc sententia se inimicum esse Christi, & diaboli ministrum declaravit: quoniam hæc docens, visus est velle nomen Christianum funditus delere: quoniam nisi Christiani Turcas bucuque restitissent, jam actum esset de re christiana. Sed gratias Deo, qui melius suo populo consuluit, quam Lutherus optasse videtur. Jam videamus quo argumento suam sententiam confirmet: quia videlicet (inquit) sic adversus Turcas bellare, est resistere Deo, visipienti iniquitates nostras per illos. O fortem argumentatorem. Tu ne es ille

Lu-

Lutheri, qui scholasticos theologos irrides, eos sophistas appellans? Nonne tu hic sophistam merum agis? Quænam obsecro est ista collectio: Deus visitat iniquitates nostras per bellum quod à Turcis contra nos geritur: ergo non licet Turcis resistere? Ad hunc modum non liceat nobis ullam provisionem facere contra famem, ullam medicinam sumere contra morbos, ullum antidotum percipere contra pestem. Per hæc enim omnia Deus etiam visitat iniquitates nostras. Tamen etsi visitet, non inhibet, ut remedio aliquo adhibito illis obviamus. Ita etiam etsi Deus visitet iniquitates nostras per Turcas, non tamen inhibet defensionem. Ita enim Deus visitat suos, ut non derelinquat. Misericordia namque quam erga nos semper exercet, exaltat judicium illius. *Visitabo*, inquit, *in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum: misericordiam autem meam non dispergam ab eo.* (Psalm. 88.) Contra hunc errorem scripsit Joannes Rossensis Episcopus in eo opere quod contra captivitatem Babylonicam Lutheri edidit, toto uno integro articulo, videlicet trigesimo quarto. Scripsit etiam ante septuaginta annos Dionysius Rikel Carthusianus libellum quemdam de bello Turcis inferendo, in quo suadet bellum Turcis debere fieri.

## BENEDICTIO.

Omnes benedictiones quas Ecclesia facit, aut dicit super vinum, panem, aquam, oleum, sal, ceream, incensum, arbores olivarum, & palmarum, vestimenta, calices, aut alias quascumque res ad usum Ecclesiasticarum rerum necessarias, impii Vvaldenses pro sua solita temeritate, & impietate irridet, & substant, dicentes illas omnes nullius esse momenti. Hos Vvaldenses hic (ut alibi semper) imitantur Vvicephistæ: qui (ut parentum suorum insaniam auferent) dicunt tales benedictiones esse veram practicam necro-

## FINIS TERTII LIBRI.

F. ALFONSI DE CASTRO  
ZAMOREN. MINORITÆ.  
ADVERSUS HÆRESES.  
LIBER QUARTUS.  
CALCEAMENTUM.

Hæc re unam hæresim citant Philaster, & Augustinus, quæ docet non licere homini calceamenta portare. Hujus autem erroris nullum assignant patronum: eam tamen tenentes, ab opere ipso discalceati sunt nominati. Verum hic admonere oportet, hos non damnari velut hæreticos, quia calceamentis non utuntur, sed ideo dam-

Tom. I.

nantur, quia credunt non licere illis uti. Calceamentis namque carere, & discalceatos incedere, bonum est & meritorium, tantum abest ut sit hæreticum. Nudis siquidem pedibus ambulans affligit carnem suam, & corpus castigat, ne anima resistat, sed obsequatur, ut decet. At carnis macerationem quis dubitat esse bonam? Bonum est ergo, & utile nudis pedibus incedere. Qua-

## BESTIÆ, ET BRUTUM.

DE hac re unam dumtaxat reperio hæresim, eamque à solo Philastro citaram, quæ asserit bestias omnes rationis esse capaces, omniaque bruta animalia, æque ut hominem, non solum sentire, verum etiam intelligere. Hanc hæresim Philaster tribuit Gnosticis, & Manichæis. August. autem in lib. de Hæresibus ad Quodvultdeum, de Gnosticis, & de Manichæis cum disserit, numquam hunc errorem illis impingit, nec Irenæus multo vetustior August. & Philastro, libro primo de hæresibus, cap. trigesimo quarto recensens Gnosticorum errores, unquam hujus erroris meminit. Sit autem hæc Gnosticorum sententia, aut Manichæorum, aut secus res se habeat, non multum curio, cum certum sit talem asserionem esse erroneam, & sacris litteris apertissime contrariam. *Nolite* (inquit Propheta Psalm. 31.) *fieri sicut equus, & mulus quibus non est intellectus.* Falsum est ergo omnia bruta esse rationis capacia. Et idem Propheta iterum ait: (Psalm. 43.) *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* In quo autem similis factus sit, declaravit cum dixit, eum non intellexisse. Per hoc enim quod non intellexit, assimilatus est jumentis, quoniam illa non intelligunt. Si bruta intelligunt, in quo quæso assimilatus est jumentis, cum honorem in quo eum Deus constituit, non agnovit? Ex his ergo duobus scripturæ sacre testimoniis apertissime convincimus bestias non esse rationis capaces.

Gg

prop-

navo facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis laudantium Deum, & dicentium: (Luc. 2.) *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Rursum, cum Christus intrabat civitatem Hierosolymam, ceperunt (ut Lucas ait, cap. 19.) omnes turbæ discipulorum gaudentes laudare Deum voce magna super omnibus quas viderant virtutibus, dicentes: *Benedictus qui venit rex in nomine Domini, pax in celo, & gloria in excelsis.* Et quidam Phariseorum de turba dixerunt ad illum: *Magister increpa discipulos tuos. Quibus ipse ait: Dico vobis quia si hi tacuerint, lapides clamabunt.* Hæc Lucas. Ex quibus verbis constat Vviclephitas similes esse Phariseis reprehendentibus discipulos cum clamore laudantes Deum. Deinde ut cantus magis comprobaretur, ipse Dominus cum discipulis suis cantare dignatus est. Nam instante morte sua, post cenam ultimam (Matt. 26. & Marc. 14.) *hymno dicto cum discipulis suis, exiit in montem Olivæ.* Ut autem hoc factum nobis maxime favere clarius dignoscatur, oportet declarare quid sit hymnus. Hymnus græca vox est, græcè hymnos, latine autem valet tantum ac canticum, sive laus quæ Deo tribuitur. Unde Augustinus super Psalm. 72. in expositione tituli, sic ait: „Hymni laudes sunt Dei cum canticis. Hymni, cantus concinentes laudem Dei. Si sit laus, & non est Dei, non est hymnus. Oportet ergo ut sit hymnus, ut habeat hæc tria, & laudem, & Dei, & canticum.“ Hæc Augustinus. Eidem sententia subscribit Isidorus, qui lib. 6. Etymologiarum, cap. 34. sic ait: „Hymnus est canticum laudantium Deum proptie, aut hymni sunt concinentes laudem Dei. Quod si sit laus, & non est Dei, non est hymnus. Si sit & Dei, & laus, & non canteretur, non est hymnus.“ Hæc Isidorus. Si ergo juxta Mattheum, & Marcum Christus dixit hymnum cum discipulis suis: ergo cantavit. Et confirmat hoc propositum factum Pauli, & Silæ, qui in carcere postici, clamantes Deum laudabant. Sic enim dicitur: (Act. 16.) *Media nocte Paulus, & Silas adorantes laudabant Dominum: & audiebant eos qui in custodia erant. Subito vero terra motus factus est magnus, ita ut moverentur fundamenta carceris. Et statim aperta sunt omnia ostia, & univrsorum vincula soluta sunt. Si ergo non licet alte, & cum clamore, & cum cantu orare, quomodo ad orationem clamorofam Pauli, & Silæ tot miracula facta sunt? Postremo hanc catholicam sententiam confirmat totius Ecclesiæ usus, non novus, sed ab ipso Ecclesiæ nascentis exordio usque ad nostra tempora conservatus. Et ut cætera de hac re testimonia omittam, unum citabo, eo cæteris efficacius, quod ab homine extraneo, & nostræ religionis inimico prolatum est. Plinius namque secundus in quadam epistola ad Trajanum de Christianis tunc (ut sic dicam) nascentibus loquens, ait: Adfirmabant autem hanc fuisse summam, vel culpæ suæ, vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem. Hæc ille. Et ut rem magis confirmemus, aliud producemus testimonium hominis etiam exteri, sed multum laudati. Philo enim Judæus, qui tempore Apostolorum fuit, & Christi tempora attingit, de Christianorum cantibus appetitissimum perhibet testimonium. Nam Eusebius Cæsariensis lib. 2. Ecclesiasticæ historiæ, cap. 17. enarrans qualiter Philo Judæus omnia Ecclesiasticæ institutionis initia, & originem Apostolicæ traditionis descripsit: dicit illum hoc etiam de Christianis narrasse, quod unus ex omnibus confurgens in medio, psalmum honestis modulis*

concebat, & præcinenti ei unum versiculum, omnis multitudo respondebat. Deinde Socrates Constantinopolitanus, libro sexto historiæ Ecclesiasticæ, cap. 9. refert unde sumpserit initium, ut antiphonæ, & responsoria in Ecclesia cantentur, sic dicens: Ignatius Antiochia Syria tertius ab Apostolo Petro Episcopus una cum Apostolis aliquando conversatus, visionem Angelorum responsorios hymnos sanctam triadem laudantium vidit, & modum visionis Antiochenæ Ecclesiæ tradidit, unde & ad omnes Ecclesias ista traditio promanavit. Et hæc est ratio responsoriorum hymnorum. Hæc Socrates. Post istam manifesta testimonia quibus impium Vvicleph errasse convincimus, extat Ecclesiæ de hac re definitio, Concilium namque Agathense, cap. 30. suorum Decretorum sic definit: Et quia convenit ordinem Ecclesiæ ab omnibus æqualiter custodiri, studendum est ut ubique (sicut fit) & post antiphonas, collectiones per ordinem ab Episcopis, vel Presbyteris dici, & hymnos matutinos, vel vespertinos decantari diebus omnibus, & in conclusione matutinarum, vel vespertinarum missarum post hymnos capitella de psalmis dici, & plebem collecta oratione ad vesperam ab Episcopo cum benedictione dimitti. Hæc Concilium. In quibus verbis præcipitur aperte, ut hymni omnibus diebus decantentur. Sed jam videamus quo argumento factum propositum confirmare nitantur, ut illi respondeamus. Sic enim ajunt: Christus prohibuit orare cum clamore, & cantu, & cum prohibuit publicam orationem, præcipiens ut secreto oraretur ab omnibus. Apud Mattheum namque sic ait cap. 6. *Tu tamen cum oraveris, intra cubiculum tuum, & clauso ostio tuo, ora Patrem tuum in abscondito: & Pater tuus qui videt in abscondito, redet tibi.* Cui objectioni respondeamus, Christum per illa verba non prohibere opus, sed intentionem. Non enim prohibuit publice orare, sed prohibuit ne hac intentione, & hoc animo aliquis oraret in publico, ut ab aliis videretur. Hoc autem ita esse colligitur ex præcedentibus ejusdem Christi verbis. Præcedentia siquidem, & sequentia verum sensum literæ manifestant. Præcedentia autem Christi verba sunt hæc: *Et cum oratis, non eritis sicut hypocritæ qui amant in synagogis, & in angulis platearum stantes orare; ut videantur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Et statim subjungit: *Tu autem cum oraveris, &c.* Præcedentibus autem verbis prohibuit intentionem malam, quæ est cum quis orat ut videatur ab hominibus. Sequentibus autem præcipit bonam intentionem, ut videlicet orat hac sola intentione, ut videatur à Deo. Quod si quis hac intentione etiam publicam orationem faciat, intentio sua est secreta, id est, ut secreta fiat, quia ad solum Deum eam dirigit, quamvis opus fuerit publicum. Et in hoc bene agit, immo sæpe necesse est ut sic fiat, quoniam (ut ait beatus Augustinus) si non habuerimus inspectores, nullos etiam habebimus imitatores. Si vero orans optat ab aliquo videri, quantumlibet claudat ostium cubiculi in quo orat, juxta tamen Christi intentionem in publico orat: quoniam Christus magis animum attendit quam opus. Et opus ipsum nunquam bonum, aut malum censetur, nisi quia à bono, aut à malo animo procedit. Secundo obijciunt per id quod Propheta Helias ad Prophetas Baal, ait: (3. Reg. 18.) *Clamate voce majoris: Deus enim vester forsitan cum alio loquitur, aut in diversorio est, aut in itinere, aut certe dormit, ut excitetur.* Propter quod arguit Joannes Vvicleph, non licere orare cum clamore, quia (ut dicit) sic orantes sunt sicut Propheta Baal, qui pre-

prehenduntur ab Helia. Fatemur Prophetas Baal fuisse reprehensos, aut potius derisos ab Helia, nec tamen hac sola ratione quod clamabant, sed quia clamantes credebant Deum aliores voces magis audire quam bassas. Ideo sic credentes clamabant orantes, ut facilius eorum voces Deus audiret. Helias ergo eorum errorem deridens, ait: *Clamate voce majoris, &c.* Non quod reprehendat clamorem, sed reprehendit errorem quo credunt Deum egere altioribus vocibus, ut audire possit. Qui autem orat cum clamore & cantu, credens Deum æque audire voces bassas ut alias, immo, quod majus est, audire clamores cordis, iste sic credens, etsi orans clamet ex quodam ferventi & impatiente desiderio, non errat. Superius namque ostendimus Christum cum clamore orasse, & pueros clamantes approbasse. Ad hunc modum Christus reprehendit prolixitatem verborum in oratione, non simpliciter & absolute, sed sicut Ethnici faciunt. Sic enim ait: (Matth. 6.) *Orantes autem nolite multum loqui, sicut Ethnici faciunt: Putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur.* Quæ verba exponens Rabbanus, ait: „Re vera omne multiloquium à Gentibus venit, qui exercendæ linguæ potius quam mundando animo dant operam, & hoc nugatorii studii, vel rogatorii genus, etiam ad præce Deum sectendum transferre conantur, arbitantes sicut hominem judicem, ita verbis Deum adduci in sententiam. Nolite itaque, quæ similes esse illis, dicit unus & verus magister.“ Hæc Rabbanus. Itaque illis verbis non absolute prohibuit Christus multiloquium & prolixam verborum orationem: quoniam ipse prolixè & prolixius oravit. (Luc. 22.) Sed prohibuit multiloquium in oratione quemadmodum Ethnici faciunt, qui putant quod in multiloquio suo exaudiantur, hoc est, prohibuit ne crederemus Deum per multiloquium nostrum magis sectendum, sed per majorem animi fervorem. Contra hunc errorem scripsit satis diffusè & copiose frater Thomas Valdensis in libro suo de Sacramentalibus, titulo secundo, à quo fateor me aliqua decerpisse, plura etiam contuli.

## CAPUT.

Unus est error dicens non esse unum Caput Ecclesiæ in terris, videlicet Papam. Sed de hoc infra longius dicemus in titulo Papa.

## CHARACTER.

Inter plures Lutheri errores, is unus numeratur, quod dicit, in nullo sacramento imprimi characterem: sed hoc asserere, ait esse meram novorum theologistarum fictionem. Hoc autem quam sit falsum, plurium sacrorum doctorum testimoniis convincemus, quos Lutherus nec novos theologistas vocare poterit, nec sententiariorum. His enim nominibus sæpissime alios notat, quorum non est dignus corrigias calcamentorum solvere. Sed ne forte de nomine contendamus, prius oportet ostendere quid sit character de quo nostra est hæc præfens disputatio. Character vox græca est, & latine sonat tantum ac signum vel figura. Character ergo, de quo nunc loqui paramus, figura quædam est (sive autem illa sit qualitas sive relatio parum interest) quam Deus animæ imprimit in signaculum, quo suum gregem discernit ab aliis. Oves enim ut ab ovibus distinguantur, signo quodam illis impresso notantur. Milites etiam à militibus in bello signo quodam distinguuntur. Portari etiam aliquando solet signum quod-

dam tamquam symbolum nobilitatis cujusdam, per quod à plebe aut ab aliis mediocrius status hominibus distingui quis valeat, ut in Hispania quidam portant in pectore spatham ex serico aut panno rubeo factam. Alibi aliqui portant vellus aureum pendens ex catenula collo circumfusa. Juxta hunc modum in tribus sacramentis imprimitur character, id est quædam figura in anima, qua ab aliis non sic signatis distinguitur. Per baptismum siquidem gratiam recipimus, & inter oves dominicas connumeramur, & ovile ejus intramus. Ut ergo ab aliis non baptizatis, qui tamquam oves diaboli sunt, distinguamur, character quodam signatur à Deo in anima. *Et quantam militiam est vita hominis super terram,* (ut ait Job cap. 7.) & Ecclesia ista quæ nunc in terra est, militiam appellatur, quia in ea militamus adversus dæmonem, carnem, & mundum: ideo grandiores effecti sacramentum confirmationis accipimus, in quo gratia nobis præstatur, qua roboremur in militia, & fortiores simus in prælio contra hostes nostros. Et ideo tunc Christus dux noster nos characterem suæ militiæ notat, ut ab hostibus distinguamur, & ab aliis etiam nostrarum partium qui ad hanc militiam nunquam pervenerunt, ut saltem hoc signaculo separemur. In ordinis vero sacramento, qui eum recipit, ad altiorem quemdam statum tollitur & velut ex plebejo ad nobilium statum evectur: quapropter quasi quodam sui status signum tunc à Deo illi imprimitur. Sed ne Lutherus dicat nos in allegoriis tempus terere, oportet ut singula percurremus, & testimoniis comprobemus. Et primo de baptismo dicamus. Beatus Hieronymus exponens illud Pauli ad Ephesios, cap. 4. *Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis,* sic ait: „Signati autem sumus spiritu Dei sancto, ut spiritus noster & anima imprimantur signaculo Dei, & illam recipiamus imaginem & similitudinem, ad quam in exordio conditi sumus. Hoc signaculum sancti spiritus (juxta eloquium Salvatoris) Deo imprimere signatur.“ Hæc Hieronymus. Ex quibus verbis patet, nostram animam signari signaculo Dei, quod signaculum nos characterem appellamus. De nomine namque non contendimus, sed de re. Verum si de nomine adhuc contendit, audiat Augustinum, qui non semel aut iterum characteris nomen exprimit. Is enim contra Cresconium grammaticum, dicentem rebaptizandum esse eum, qui ab hæreticis baptizatus fuerat, lib. 1. capitulo 30. sic ait: „Neque enim propterea immutandus vel improbandus est regius character in homine, si erroris sui veniam, & militandi ordinem à rege impetraverit, quia eundem characterem, quo sibi satellites congregaret, desertor infixit: aut propterea signa mutanda sunt ovibus, cum dominico gregi sociantur, quia ejus dominicum signum fugitivus servus impressit.“ Hæc Augustinus. Quibus verbis bis characterem, bis signum nominavit. Et de baptismo contra Donatistas eandem causam agens, libro sexto, capite primo sic ait: Habere, & dare, & accipere sacramentum baptismi, satis eluxit pastoribus Ecclesiæ Catholice toto orbe diffusæ, per quos postea plenarii Concilii auctoritate originalis consuetudo firmata est, & ovem, quæ foris errabat, & dominicum characterem à fallacibus prædicatoribus suis foris acceperat, venientem ad christianæ unitatis salutem ab errore corrigi, à captivitate liberari, à vulnere sanari, characterem tamen dominicum in ea agnoscere potius, quam improbari: quandoquidem ipsum characterem multi & lupi & lupis insigunt: qui videntur quidem intus esse, verumtamen ad illam ovem, quæ

propter beatum Franciscum Minorum pater, Monachis sub suo instituto degentibus, è quorum numero ego sum, & utinam bonus, præcepit ut nisi necessitate cogente, calceamenta non portarent. Credere tamen nullo pacto licere portare calceamenta, hoc est hæreticum. Dominus enim assignans Judæis modum quem debeant agnam Paschalem comedere, dicit: (Exod. 12.) *Calceamenta habebitis in pedibus vestris.* Propter quod, ut veritas figuræ, & corpus umbræ assimilaretur, sacerdos solemne sacrum celebrans, in quo verus ille agnus, videlicet Christus benedictus, comeditur, calceamenta in pedibus tenent, etiam qui alias non essent portaturi, ut fratres minores, qui etsi alias nudis pedibus incedant, cum tamen missam celebrant, calceamenta in pedibus tenent. Et Dominus ad Ezechielem ait, cap. 24: *Calceamenta tua erunt in pedibus tuis.* Et Christus redemptor noster cum Apostolus suos misit binos ante faciem suam, præter illos (ut Marcus ait cap. 6.) calceatos sandaliis. Præterea, quod nunquam reperitur denegatum, intelligitur esse concessum. Si ergo portare calceamenta nunquam fuit omnibus prohibitum, inde convincitur esse nobis concessam. Verum hic forte aliquis objiciet, quod portare calceamenta Dominus prohibuit. Nam (ut Matthæus testatur, cap. 10.) cum misit duodecim Apostolos ad prædicandum, inter alia quæ illis præcepit, hoc quoque dixit: *Non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam.* Ecce calceamenta prohibita. Fatemur ibi calceamenta fuisse prohibita, sed non omnibus. Solis enim Apostolis tunc loquebatur, ad quos solos illa præcepta spectasse dignoscitur, ut alias docuimus. Nec etiam Apostolis in perpetuum, & semper fuerunt data illa præcepta, sed solum pro illo tempore quo mittebantur. Ibi siquidem dicitur: *In viam gentium ne abieritis.* Et tamen in posterum illis mandatur: *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creature.* Illic etiam prohibuit portare peram: tamen postea dicit: (Luc. 22.) *Quando misit vos sine saculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: Nihil. Dixit ergo eis: Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter, & peram: & qui non habet vendat tunicam suam, & emat gladium.* Ex quibus constat, illa quæ apud Matthæum referuntur, solum pro illo itinere peragendo esse data Apostolis præcepta, non autem pro tempore sequenti. Multo ergo minus ad nos jam pertinere possunt. Cum ergo nulla sit facta de portandis calceamentis prohibitio, apertissime convincitur, licitum esse omnibus calceamenta portare, nisi illis forte qui se ad hoc per votum obligaverunt.

## CANTUS.

UNam duntaxat de hac re inveni hæresim, quæ irridet cantus qui dicuntur in Ecclesia. Hujus erroris primus auctor (ut opinor) fuit quidam Hilarius, de quo beatus Augustinus lib. 11. Retractationum, cap. 11. mentionem facit, illiusque errorem prodit. Et nescio an Hilarius sit ex Arrianis fuerit, qui cantibus sacris etiam detraxerant, quia in illis audiebant Christi laudes, quem ipsi vehementer cupiebant deprimit. Unde Ambrosius in quadam oratione contra Auxantium de basilicis tradendis invehens, quæ ponitur in quinto libro suarum epistolarum, sic ait: „itaque & hodie cum laudatur Christus, Arrianorum amentia verberatur. Gerani seni præsentiam Christi ferre non poterant: illi pejores Geranensis, nec laudationem Christi sustinere possunt.

Vident pueros Christi gloriam concinentes, quia scrip- tum est: (Psalm. 8.) *Ex ore infantium, & lactentium, perficisti laudem:* irridet istam ætatem fidei plenam, cum dicunt, *ecce quid clamant?* Sed respondet iis Christus: (Luc. 19.) *Si hi tacuerint lapides, clamabunt, hoc est, fortiores clamabunt, clamabunt & juvenes, clamabunt & maturores, clamabunt & senes.* Hæc Ambrosius. Ex cuius verbis patet Arrianos detrabere laudibus Christi in Ecclesia decantatis. Tamen (ut exitimo) non ideo detrabebant, quia cantabantur laudes, sed quia laudabatur Christus, ultra eorum opinionem, quoniam credebant Christum esse puram creaturam, quapropter invidiebant laudibus quibus Christus extollebatur ut verus Deus. Quas laudes moleste tulissent etiam si submissa voce, & non cum cantu dicerentur. Hæc dixi propter Thomam Vvaldensem qui Arrianus videtur hunc errorem tribuere, motus Ambrosii hæc auctoritate, male (ut opinor) perspecta. Hilarius tamen (ut ex Augustini verbis patet) simpliciter cantibus detrabere. Hunc errorem suscitavit Vvaldenses, qui dixerunt frustra tempus terti in cantibus Ecclesiasticis. Hos postmodum secutus est Joannes Vvicleph Anglicus, qui adeo cantibus Ecclesiasticis detraxit, ut cantantes in Ecclesia vocaverit sacerdotes Baal, quibus cum clamore orantibus, Helias Propheta dixit: (3. Reg. 8.) *Clamate voce majore: Deus enim vester forsitan cum alio loquitur, aut in diversorio est, aut in itinere, aut certe dormit, ut excitetur.* Quapropter dicit Joannes Vvicleph, eos qui in Ecclesia canunt, esse sacerdotes Baal, quoniam sic clamant, ac si Deus dormiens eos non audiret, & eorum vocibus esset excitandus. Ut autem hunc errorem clarius convincamus, admonere prius oportet, duplicem esse orationem quæ coram Deo fit. Unam privatam, quæ à singulari persona fit. Aliam publicam, quæ ab hominum conventu in unum congregato fit. Primam orationem expedit magis esse cum silentio quam cum clamore: quia sic cum clamore orans impedit alium ne ita quiete apud eum orare possit, quia suis vocibus alterius sensum ad suos sermones rapit. Deinde sic publice cum clamore orans, suas secretas petitiones, quas forte non expediebat alium scire, in auribus bonorum, & malorum audiendas committit, & ita contingit, ut ab hominibus, quibus sua secreta revelavit, derideatur. Et propter hoc laudatur Anna Samuelis mater, de qua orante Dominum pro impetrando filio, dicitur in primo libro Reg. cap. 1. *Porro Anna loquebatur in corde suo, tantumque labia illius movebantur, & vox penitus non audiebatur.* Et de hac oratione intelligendum est id quod Paulus ait: (1. Cor. 14.) *Si autem non fuerit interpret: taceat in Ecclesia, sibi autem loquatur & Deo.* Si tamen quis ex impatienti quodam, ac ferventi desiderio clamaverit orans etiam private, loco tamen ubi alios non perturbet, & sui cordis secreta non prodiderit sic orans, nec crediderit Deum magis audire cum fortius clamatur, quam cum basse, iste sic orans cum clamore non male agit, imo bene, si forte ad id intendit, ut alius oratione audita excitetur ad Deum laudandum. Unde Propheta ait: (Psalm. 19.) *Ad Dominum cum tribularer clamavi, & exaudivit me.* Ne autem subterfugiant hæretici dicentes illud debere intelligi de clamore cordis, & non de clamore oris, adferamus in medium Christum Salvatorem nostrum, cujus operibus nullus nisi impie detrabere potest. Is enim (ut ait Joannes, cap. 11.) Lazarum suscitaturus, elevatis sursum oculis, dixit: *Pater, gratias ago tibi quoniam audisti me.* Ego

Ego autem sciebam quia semper me audis, sed propter populum qui circumstat, dixi, ut credant quia tu me misisti. Hæc cum dixisset, voce magna clamavit: *Lazare, veni foras.* Ecce hic vides Jesum voce magna clamantem, qui tamen voce submissa poterat audiri, immo qui sine ulla voce poterat suscitari. Et ut fortius nostra sententia confirmetur, vide quid Matthæus dicat, cap. 27. *Et circa horam nonam clamavit Jesus voce magna, dicens: Heli, heli lamazabathani, hoc est, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Demum, ut hominem tribus testibus convincamus, adferamus Paulum, qui de Christo loquens, sic ait: (Heb. 5.) *Qui in diebus carnis suæ, preces, supplicationesque ad illum qui possit eum salvum facere à morte, cum clamore valido, & lachrymis offerens, & exauditus est pro sua reverentia.* Quid ergo dices impie Vvicleph ad ista tamen clara testimonia quæ tibi obijciuntur? Sed certe veretur ne etiam audeas Christum criminari, qui non dubitasti sponfam ejus Ecclesiam, & contemnere, & acculare. Alia est oratio publica in qua non tantum consulitur propriæ cujuslibet orantis utilitati, sed communibus commodis prospicitur. Et in hac oratione expedit orare alie, ut orantes invicem audiantur, & se invicem audientes, de Dei laude sancta quadam æmulatione contendunt. Duo namque Seraphin clamabant alter ad alterum: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Plena est omnis terra gloria ejus.* (Esa. 6.) Ad quorum similitudinem duo chori in Ecclesia fiunt, qui per vices alternas cantant, & tanquam duo Seraphin alter ad alterum clamant. Expedit etiam orationem clamorofam in communi fieri, ut alii hoc audientes excitentur ad Dei laudem. Unde Dominus apud Matthæum, cap. 5. ait: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est.* Et de oratione ipsa, & laude ait Propheta: (Psalm. 33.) *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. In Domino laudabitur anima mea, audiant mansueti, & lætentur. Magnificate Dominum mecum, & exultemus nomen ejus in idiplum.* Ecce ergo cui rei deservit illa publica, & alta laudum decantatio. Unde Rabanus in lib. de Institutis Clericorum, cap. 17. ait: „Psalterium idcirco, cum melodia cantilenarum suavium in Ecclesia frequentatur, quo facilius animi ad compunctionem flectantur. Perfecta autem vox est alta, clara, suavis. Alta, ut sufficiat, clara, ut aures adimpleat, suavis, ut animos audientium suaviter demulceat. Si autem aliquid, ex his deservit, perfecta vox non erit.“ Hæc Rabanus. Eandem sententiam confirmat beatus Isidorus, lib. 1. de Officiis, cap. 6. dicens: „Itaque & in hymnis, & psalmis canendis, non solum Prophetarum, sed etiam ipsius Domini, & Apostolorum habemus exemplum, & præcepta de hac re utilia ad movendum pie animi, & inflammandum divinæ dilectionis affectum.“ Hæc Isidorus. Si quis vero adeo pertinax, & male induratus est, ut non erubescat negare, cantus ipsos si recte ut decet, formentur, mentes audientium posse movere ad devotionem spiritus, hunc talem convincit Augustini testimonium, qui libro 9. suarum Confessionum, cap. 6. & 7. hæc ait: „Quantum flevi in hymnis, & cantibus tuis, suavis sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter. Voces illæ influebant auribus meis: & eligebatur veritas tua in cor meum, & ex ea æstuebat, inde affectus pietatis, & currebant lachrymæ. & bene mihi erat cum eis. Non longe cæperat Mediolanensis, sis Ecclesiæ genus hoc consolationis, & exhortationis*

celebrare, magno studio fratrum concinentium vocabus, & cordibus. Nimirum annus erat, aut non multo amplius, cum justitia Valentini Regis pueri mater, hominem tuum Ambrosium persequeretur hæresis suæ causa, quæ fuerat seducta ab Arrianis. Excubabat pia plebs in Ecclesia, mori parata cum Episcopo suo, servo tuo. Ibi mater mea, ancilla tua, sollicitudinis, & vigiliarum primas partes tenens, orationibus vivebat. Nos adhuc frigidum à calore spiritus tui, excitabamur tamen civitate attonita, atque turbata. Tunc hymni, & psalmi, ut canerentur secundum morem Orientalium partium, ne populus meroribus tædio contabesceret, institutum est: & ex illo in hodiernum retentum, multis jam æne omnibus gregibus tuis, & per cætera orbis imitantibus. Et libro decimo, cap. 33. iterum ait: Nunc in sonis quos animant eloquia tua, quum suavi, & artificiosa voce cantantur, fateor aliquantulum acquiesco, non quidem ut hæream, sed ut surgam cum volo. Attamen cum ipsis sententiis quibus vivunt, ut admittantur ad me, quærent in corde meo nonnullius dignitatis locum, & vix eis præbeo congruentem. Aliquando enim amplius mihi videor honoris eis tribuere quam decet, dum ipsi sanctis dictis religiosus, & ardentius sentio moveri animos nostros in flammam pietatis, cum ita cantantur, quam si non ita cantarentur, & omnes affectus spiritus nostri pro suavi diversitate habere proprios modos in voce, atque cantu, quorum nescio qua occulta familiaritate excitentur. Sed delectatio carnis meæ, cui mentem enervandam non oportet dari, sepe me fallit, dum rationem sensus non ita comitatur, ut patienter sit posterior, sed tantum quod propter illam meruit admitti, etiam præcurrere, ac ducere conatur: ita in his pecco non sentiens, sed postea sentio. Aliquando autem hanc ipsam fallaciam immoderatus canens erro, nimia feveritate, sed valde interdum, ut melos omne cantilenarum suavium quibus Davidicum psalterium frequentatur ab auribus meis removeri velim, atque ipsius Ecclesiæ: tutiusque mihi videtur, quod de Alexandrino Episcopo Athanasio sæpe mihi dictum commemini, qui tam modico flexu faciebat sonare lectorem psalmi, ut pronuntianti vicinior esset quam canenti. Verumtamen cum reminiscor lachrymas meas quas fudi ad cantus Ecclesiæ tuæ, in primordiis recuperatæ fidei meæ, & nunc ipso commoveor, non cantu, sed rebus quæ cantantur: cum liquida voce, & convenientissima modulatione cantantur, magnam instituti hujus utilitatem rursus agnosco. Ita fluctuo inter periculum voluptatis, & experimentum salubritatis, magisque adducor, non quidem irretractabilem sententiam proferens, cantandi consuetudinem approbare in Ecclesia: ut per oblectamenta aurium infirmior animus in affectum pietatis assurgat.“ Hactenus Augustinus. Ex cuius verbis apertissime constat quantum cantus Ecclesiæ proficere possint mentibus audientium, si suavi modulatione cantentur, quia ipse Augustinus de seipso testatur, se per cantus Ecclesiæ promotum fuisse ad lachrymas. Cum ergo cantus utilitas non parva jam pateat, opus est ut illum comprobemus testimonio scripturarum. Propheta Regius, ait: (Psalm. 32.) *Cantate ei canticum novum, bene psallite ei in vociferatione.* Et ne possit Vvicleph subterfugere, detorqueus scripturam ad orationem mentalem, dixit: *Bene psallite ei in vociferatione.* Præterea Christo

que etiam ex multis una est, non pertinere, morum suorum fructibus conuincuntur, quibus in finem usque perdurant. Hæc ibi Augustinus. Et in quodam sermone de gestis cum Emerito Donatistarum Episcopo, sæpenumero characterem baptismi nominat. Brevitati studens, noluit in medium adferre, qui voluerit legat ibi, & inueniet eum in septimo tomo operum Augustini. Jam vides Lutherum in septimo testimonio Hieronymi & Augustini probabimus, characterem imprimi in baptismo, & istos non poteris dicere novos theologos (ut asseles) nec sententiariorum, quum eorum quilibet plus quam sexcentis annis magistrum Sententiarum Petrum Lombardum præcesserit. Sed jam ad confirmationis sacramentum pergamus. Innocentius Papa, hujus nominis primus, vir doctrina & sanctitate clarus, Decentio Eugubino Episcopo scribens, capite tertio sic ait: „De consignandis vero infantibus, manifestum est ab alio fieri, quam ab Episcopo, non licere. Nam presbyteri, licet sint sacerdotes, Pontificatus tamen apicem non habent. Hæc autem Pontificatus solis debent, ut vel consignent, vel Paracletum Spiritum tradant, non solum consueto Ecclesiastica demonstrat, verum illa lectio Actor. Apostolorum, quæ asserit Petrum & Joannem esse directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum Sanctum.“ Hæc Innocentius. Ex quibus verbis duo colligimus. Unum est, confirmationem non posse nisi ab Episcopo conferri. Alterum est, quod in tali consignatione eam recipientes. Sic enim appellavit eam, videlicet consignationem. Sed quia forte hoc testimonium alio detorquebit quam oportet, uno jam argumento de omnibus his tribus sacramentis, videlicet baptismo, confirmatione, & ordine concludamus. In his enim sacramentis, sancto docente spiritu, didicit Ecclesia non patiendam iterationem, non ob aliam causam, quam quod in eis characteris confertur signaculum, quod deleri nullo modo potest. Quamvis enim peccatores sæpenumero illud maculent, & è candido reddant atrum, è purissimo reddant impurum, numquam tamen ita poterunt eradere, quin illo characteris signati, orbi toto maneant in die iudicii noti ad gregem dominicum pertinere, cuius signaculo impressi sunt. Quam ergo ille character, qui per talia sacramenta imprimitur, sit indelebilis, ideo non iterantur sacramenta, quæ illum imprimunt. Quod autem sacramenta illa iterari non possint, testatur Augustinus de baptismo & ordine, ad hunc modum loquens: „Utrumque enim sacramentum est, & quadam consecratione utrumque homini datur, illud cum baptizatur, illud cum ordinatur. Ideo non licet in Ecclesia Catholica utrumque iterari.“ Hæc Augustinus. Eisdem sententia subscribit Gregorius qui libro secundo sui registri epistola 32. sic ait: „Illud autem cum dicitis, ut is qui ordinatus est, iterum ordinetur, valde ridiculum est, & ab ingenii vestri consideratione extraneum, nisi forte quod exemplum ad medium deducitur, de quo & ille iudicandus est, qui tale aliquid fecisse perhibetur. Absit autem à fraternitate vestra sic sapere. Sicut enim baptizatus semel, iterum baptizari non debet: ita qui consecratus est semel, in eodem iterum ordine consecrari non debet. Sed si quis forsitan cum levi culpa ad sacerdotium venit, pro culpa poenitentia indici debet, & tamen ordo servari.“ Hæc Gregorius. Et ut jam concludamus, Conciliorum definitiones expedit adducere. Concilium Carthaginense quartum sic definit: Non licet fieri rebaptizationes, neque reordinationes, vel retranslationes Episcoporum. Et ponuntur hæc verba in

volumine decretorum de consecr. dist. 4. cap. Non licet. De confirmatione autem Concilium Tarraconense sic ait: Dicitur est nobis, quod quidam de plebe bis vel ter vel eo amplius, Episcopis ignorantibus tamen, ab eisdem Episcopis confirmantur. Unde nobis visum est, eandem confirmationem, sicut nec baptismum, iterari minime debere. Hæc ibi. Quæ verba adducit Gratianus in volumine Decreto de consecr. dist. 5. cap. Dicitur est. Tamen ut ingenue fatear, cum recurrissem ad volumen Conciliorum, ut ibi ex fonte haurirem, nihil tale ibidem reperi, quale Gratianus citat sub illis titulis. Quo fit, ut mea sententia dicere oporteat, vel titulum illum, qui est in Gratiano, incuria scriptorum fuisse corruptum: aut illorum Conciliorum decreta, quæ nunc apud nos sunt, esse mutila & manca, nec adeo integra ut Gratiani tempore existerent. Sed jam ad rem. Ex supra dictis testimoniis constat, illa tria sacramenta esse iterabilia. Hoc autem non ob aliud evenit nisi quia in illis imprimitur character, qui est indelebilis: qui character cum in aliis sacramentis non imprimatur, talia sacramenta iterari recipi possunt. Denique, ut sententiam nostram plene confirmemus, operæpretium erit Conc. Florent. de hæc re definitionem proponere, quoniam aperitissime insanam Lutheri sententiam damnat. Sic enim ait: Inter hæc sacramenta, tria sunt baptismus, confirmatio & ordo, quæ characterem, id est, spirituale quoddam signum, à cæteris distinctivum, imprimunt in anima, indelebile. Unde in eadem persona non iterantur. Reliqua vero quatuor characterem non imprimunt, & reiterationem admittunt. Hæc Concilium Florentinum. Denique Concilium Tridentinum sub Paulo tertio celebratum sessione septima, canone nono per hæc verba definit: Si quis dixerit, in tribus sacramentis, baptismo scilicet, confirmatione & ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale, & indelebile, unde ea iterari non possint, anathema sit. Hæc Concilium Tridentinum. Et de hæc re hæc dicta sufficiant. Contra hunc errorem tenent Priscillianistæ, sicut versus Lutherum disputarunt (quod sciam) aliqui scripti, præter unum Angliæ regem, qui in eo opere, quod pro defensione sacramentorum Ecclesiæ scripti, succincte factis & persunctorie hunc errorem tangit.

## CARO ET CORPUS

## HUMANUM.

HIC est unus error Manichæorum, dicentium corpus suapte natura malum, & ideo à malo principio factum. Hunc errorem tenent Priscillianistæ, sicut multos aliorum Manichæorum errores. Hic est etiam error Patricianorum, à Patricio quodam Romano (ut ait Philaster) sic appellatorum. Hi dicunt carnem à diabolo factam, & ideo insequendam, & morte plectendam. Qui adeo carnem suam odiebant (sicut idem Philaster & Augustinus) ut ultro sibi mortem inferre non dubitarent, ut vel sic carne carere possent. Hunc eundem errorem ex parte tenent alii dicti Paterniani, qui alio nomine vocantur (ut Aug. ait) Venusiani. Hi dicunt inferiores partes corporis humani, non à Deo, sed à diabolo esse factas: quapropter licentiam tribuentes omnium flagitiorum ex illis partibus, impurissime vivunt. De reliquis autem superioribus corporis partibus nihil tale asserunt sicut Patriciani dixerunt. Ideo tamen in unum eos conjungere placuit, quia uno eodemque gladio feriendi sunt.

Nam

Nam ostensio, quod totum hominis corpus à Deo factum sit, inde etiam manebit probatum, inferiores corporis partes esse à Deo factas, cum illæ etiam sint de substantia corporis humani.

Quo autem tempore aut Patriciani, aut Paterniani ceperint, neque ex Augustino, neque ex Philastro constat.

Primo ergo objicimus id, quod in Genesi dicitur: *Et creavit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam. Ad imaginem Dei creavit illum, masculum & feminam fecit eos.* At hæc sexus distinctio non est in anima sola, sed in corpore, nec alibi quam in inferioribus corporis partibus. Si ergo Deus masculum & feminam fecit eos, sequitur quod non tantum creavit animam, & juxta illam nulla sit sexus distinctio, sed etiam fecit corpus quod est contra Patricianos. Et non solum fecit superiores partes corporis, sed etiam inferiores, in quibus est potissima sexus diversitas, & per hoc conuincuntur Paterniani. Præterea in eodem lib. cap. 2. postea dicitur: *Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam: cumque obdormisset, tulit unam de costis ejus, & replevit carnem pro ea. Et edificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem.* Ecce hic vides Dominum pro costa fecisse carnem, & ex costa iterum fecisse mulierem. Non autem eam fecit ex costa quantum ad animam, quoniam illa creatur, & cum sit spiritualis, ex nihilo fit, nec ex costa fieri poterat. Reliquum est ergo, ut secundum corpus à Deo factam esse ex costa fateatur. Rursum, Propheta regius ait: (*Psal. 118.*) *Manus tuæ Domine fecerunt me, & plasnaverunt me.* Corpus autem æque est de substantia hominis ut anima, dicente Athanasio: Anima rationalis & caro unus est homo. Cum ergo scriptura sæpe testetur Deum fecisse hominem, nulla corporis & animæ in hæc re facta distinctio: conuincitur ut etiam fecerit corpus sicut animam. Et ut nulla possit tergiversatione hic error celari, Job expresse de corpore loquitur, cap. 10. dicens: *Sicut lac me coagulasti.* Non autem coagulatur juxta animam, ut liquet, sed juxta corpus. Et Ecclesiasticus ait, cap. 18. *Deus de terra creavit hominem:* quod etiam ad corpus referri oportet, cum anima ex nihilo sit creata. Deinde cum Deus creavit hominem, & masculum & feminam fecisset, benedixit eis, dicens: (*Genes. 2.*) *Crescite & multiplicamini, & replete terram.* Quibus verbis (ut alias docuimus) generationem præcepit, quæ per corporum conjunctionem fit, non per quascumque corporis partes (ut omnibus notum est) sed per inferiores, in quibus potissima sexus distinctio consistit. Ergo partes illas, quibus generatio faciendæ est, à Deo factas esse oportet, à quo generatio præcipitur. Et hoc contra Paternianos. Confirmat nostram sententiam manifestius Paulus, (*Rom. 6.*) dicens: *Neque exhibeatis membra vestra, arma iniquitatis peccato, sed exhibete vos ipsos Deo, tanquam ex mortuis viventes, & membra vestra, arma justitiæ Deo.* Cum ergo arma justitiæ corpus & ejus membra Paulus E appellet, conuincitur inde ut suapte natura non sit malum, cum possit illud ad arma justitiæ converti. Postremo Christus nostram assumens naturam, factus est verus homo, sicut unus ex nobis. *Voluit enim (ut ait Paulus) per omnia fratribus assimilari.* Et Joannes ejus incarnationem describens, uno verbo dixit: *Et verbum caro factum est.* Et Paulus iterum ait: (*Roman. 1.*) *Qui factus est ex semine David secundum carnem.* Si ergo caro hominis aut corpus humanum à diabolo sit factum, ut Patriciani fabulantur, aut inferiores tantum corporis humani partes,

ut Paterniani mentiuntur, diaboli fecerit: oportebit tunc dicere, Christum Dei Filium aliquid diabolicum retinere. Absit autem, ut in tantam blasphemiam incidamus. *Quæ enim societas lucis ad tenebras? aut quæ conventio Christi ad Belial? (2. Cor. 6.)* Et ipsemet Christus Dei Filius de dæmone ait: (*Joann. 13.*) *Venit enim princeps hujus mundi, & in me non habet quicquam.* Sed jam audiamus Ecclesiæ de hac re definitionem. Leo Papa hujus nominis primus, in epistola 71. in qua errores Priscillianistarum damnat, cap. 8. hæc ait: „Octavum eorum est, plasmatorem humanorum corporum diaboli dicere esse, signum, & semina conceptionum opere dæmonum, in mulieris uteris figurari: propterea resurrectionem carnis non esse credendam: quia creatio corporis non sit congruens animæ dignitati. Quæ falsitas sine dubio opus diaboli est, & talia prodigia opinionum signata sunt dæmonum, qui non in foeminarum ventribus forment homines, sed in hæreticorum cordibus tales fabricant errores. Quod immundissimum virus de Manichæa impietatis specialiter fonte procedens, olim si des catholica deprehendit atque damnavit.“ Hæc Leo Papa. Concilium Braccarense primum cap. tertio suorum Decretorum sic definit: Si quis dicit creationem universæ carnis non opificium esse Dei, sed malorum angelorum, sicut Manichæus & Priscillianus dixerunt, anathema sit. Reliquum autem Patricianorum errorem, quo credunt seipsos debere occidere, ut vel hoc medio carne priventur, inferius in tit. de occisione, expugnabimus. De alio etiam Paternianorum errore, quo putabant omnia flagitia, quæ per partes corporis inferiores committi possunt, esse licita, inferius, in tit. de coitu disputabimus.

Secunda hæresis docet, imaginem Dei, ad quam homo à Deo conditus esse dicitur, esse in carne hominis factam, & non in anima. Verum de hoc errore infra, Deo duce, in tit. de Imagine disputabimus.

## CERTITUDO.

DE hac re unam solum inveni hæresim, quæ docet omnem hominem justum certitudine fidei scire se esse in gratia, & vere justificatum. Et insuper addit, omnem hominem justum esse obligatum ex regulis fidei ad certo credendum, se esse in gratia. Quod si non certo crediderit, ob hanc solam causam dicit illum non esse justum. Hujus hæresis primus auctor & inventor fuit Martinus Lutherus, & illum in hac parte secuti sunt Philippus Melancton, Martinus Butzerus, Joannes Calvinus, & reliqui omnes qui Lutheranam nomine censentur. Contra hæresim istam nolo impræsentiarum disputare, quoniam inferius in titulo de gratia, illam tertio loco collocare statui, & ibidem contra illam disputare.

## CIBUS.

DE hac re est unus error, dicens non licere vesci carnibus. Hic error Tatiani & Encratitarum, quos supra diximus à Tatiano fuisse exortos. De quibus Irenæus lib. 1. contra hæreses cap. 30. mentionem facit. Hunc errorem postea suscitavit Manichæus. Eidem adhæsit Aerius, ut Philaster ait: August. tamen dicit Epiphanium hoc illi non impingere. Cathari autem insaniam hanc auerunt, dicentes non licere comedere ova, caseum, lac, etiam si necessitas adsit. Hunc errorem Cathari impin-

pingit Guido Carmelita. Hi autem Cathari, qui ista docent, non sunt illi qui alias dicuntur Novatiani, sed alii Novatianis posteriores, qui ad Manichæorum familiam pertinent, quos August. non Catharos, sed Catharistas appellat. Nam August. in lib. de hæresi cap. 46. de Manichæis differens, dicit illos in tres partes esse divisos. Quidam dicti sunt Manichæi, nomen auctoris servantes; Alii Macarii: Alii Catharistæ, hoc est, mandatores, sive purificatores, propter quasdam horrendas & execrandas purificationes, quas faciebant. Isti aliquamdiu extincti, tandem post aliquot sæcula surrexerunt in Alemania, sub Imperatore Frederico I. & vocati sunt Cathari, & melius vocarentur Catharistæ, ut Aug. eos appellat: quia illi non mandati, sed mandatores erant. Priscillianus etiam carnes tantquam immundas efcas debuit. Græci etiam (ut Guido illis impingit) damnant eos qui comedunt de suffocatis, aut alias carnes in lege veteri prohibitas. Contra hos omnes clamat scriptura sæpissime. Primo dominus ad Moysen loquitur, (Exod. 12.) quæ suo nomine filii Israel dicturus sit, in hunc modum: *Decima die mensis hujus tollat unusquisque agnum per familias & domos suas. Sin autem minor est numerus ut sufficere possit ad vescendum agnum: assumet vicinum suum qui conjunctus est domui ejus, juxta numerum animarum quæ sufficere possunt ad esum agni.* Ecce vides qualiter dominus præcipit comedere agnum. Quod si carnes malæ essent & immundæ, Deus nullo pacto præcepisset. Præterea Deus præscribens leges eorum, quæ comedere poterant filii Israel per Moysen loquitur, dicens: (Lev. 11.) *Hæc sunt animalia quæ comedere debetis de cunctis animantibus terræ: Omne quod habet divisa ungulam & ruminat in pecoribus, comedetis.* Eandem sententiam in reiteratione legis, hoc est, in Deuteron. replicat cap. 14. dicens: *Hoc est animal quod comedere debetis: Bovem, & ovem, & capram, cervum, & capream, bubalum, tragelaphum, pygargum, Orygem, camelopardalum.* Omne animal quod in duas partes dividit ungulam & ruminat, comedetis. Sed quoniam impii Manichæi vetus testamentum rejiciunt, dicentes illud à quodam malo Deo esse factum, de quo errore alias disputabimus, ideo testimonio novi testamenti opus est ut nostram rem firmemus. Et primo omnium tuba apostolica, videlicet Paulus, pro nobis clamat in ea quæ est ad Roman. epist. cap. 14. dicens: *Scio, & confido in domino Jesu, quia nihil commune per ipsum, nisi ei qui existimat quid commune esse, illi commune est.* Commune hic vocat Apostolus cibum immundum, & lege divina prohibitum: sicut alibi dixit Petrus Apostolus: (1. Cor. 8.) *Commune & immundum nunquam manducavi.* Et post prædicta Paulus eodem loco subjungit: *Omnia quidem munda sunt: sed malum est homini, qui per offendiculum manducat.* Hoc autem dicit Paulus, quia propter vitandum scandalum in proximo, debet homo à carnibus abstinere, si videt alium scandalizari ex esu carniū, sicut alibi ait: (Rom. 14.) *Si fratrem meum scandalizo, carnes non comedam in æternum.* Et in eodem priori loco eandem persequens sententiam Paulus, subjungit: *Qui autem discernit si manducaverit, damnatus est: quia non ex fide.* Tatianus ergo & Manichæus & Priscillianistæ & Cathari damnati sunt juxta Paulum, quia manducantes discernunt cibos, putantes aliquibus non esse vescendum. Præterea in epist. 1. ad Timoth. 4. hoc clarius exponit, dicens: *Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris & doctrinis demoniorum, in hypocritæ loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam con-*

scientiam, prohibentium nubere, abstinere à cibis quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & his qui cognoverunt veritatem: quia omnis creatura Dei bona est, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificavit enim per verbum Dei, & orationem. Jam quæso, quid his verbis apertius dici poterat. Rursum, confirmat hanc sententiam visio Petri de qua sic dicitur in Actib. Apost. cap. 10. *Et cum esuriret Petrus, voluit gustare. Parantibus autem illis, cecidit super eum mentis excessus: & vidit cælum apertum, & descendens vas quoddam velut linteam magnum, quatuor initiis submitti de cælo in terram, in quo erant omnia quadrupedia & serpentina terra, & volatilia cæli. Et facta est vox ad eum, Surge Petre: occide, & manduca. At autem Petrus, Absit Domine, quia nunquam manducavi omne commune aut immundum. Et vox iterum secundo ad eum, Quæ Deus purificavit, tu commune ne dixeris. Hoc autem factum est per te. Et statim receptum est vas in cælum. Hæc ibi. Deinde ipse Christus (ut omnes Evangelistæ testantur) comedit agnum paschalem. Si autem carnes ex se essent immundæ & illicitæ, Christus totius perfectionis & virtutis exemplum, nunquam comedisset. Accedit ad hæc omnia Ecclesiæ in hac parte testimonium. Concilium namque Bracarense primum, capite quatuordecimo suorum Decretorum sic definit: *Si quis immundos putat cibos carniū, quas Deus in usum hominum dedit, & non propter afflictionem sui corporis, sed quia immunditiam putaverit, ita abstinere ab eis, ut nec olera cocta cum carnibus pergustet, sicut Manichæus & Priscillianus docuerunt, anathema fit.* Hæc Concilium. Post tam expressa scripturæ sacræ & Ecclesiæ testimonia, non est quod jam amplius de hac re disputemus. Verum superest, ut respondeamus cuidam objectioni, quæ pro errore Græcorum valde adduci solet. In Concilio siquidem ab Apostolis Hierosolymæ celebrato, de quo in quatuordecimo cap. Act. Apostolorum fit mentio, cum de hoc fieret disputatio, sic lata est sententia: *Vsum est enim Spiritui Sancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria: ut abstinatis vos ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione, à quibus custodientes vos, bene agetis.* Hæc ibi. Quæ verba nullo modo nostræ sententiæ repugnant, quoniam illa ab Apostolis pro tunc prohibita sunt, & non quia ex se mala, aut quia lege divina interdicta: sed prohibita sunt propter Ethnicos, qui noviter convertebantur, ad fidem. Judæi enim maxime horrebant comedere immolata simulachrorum, sive idolothyta, & suffocatum. Apostoli autem timentes ne Judæi conversi, occasione cibi quem horrebant, separarentur à communione fidelium, præceperunt fidelibus ut ab illis cibis abstinere, ne occasione cibi perderent fratres, quos forte ad dominum possent convertere, à talibus cibis abstinendo. Hoc autem ita esse facile convincimus. Nam ut de cæteris taceam, inter cibos illic annumeratos sunt immolata simulachrorum, de quibus Apostolus dicit esse licitum comedere, modo non sit conscientia idoli: id est, dummodo hoc propter idoli reverentiam non faciat, credens forte aliquid numinis esse in dolo. Sic enim ait in 1. ad Corinth. epistola cap. 8. *De esis autem quæ idolis immolantur, scimus quia nihil est idolum in mundo, & quod nullus est Deus nisi unus. Nam estis sunt qui dicitur, sive in cælo, sive in terra (siquidem sunt dii multi, & domini multi) nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo omnia, & nos in illo: & unus dominus Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum. Sed non in omnibus scientia. Quidam autem cum**

conscientia usque nunc idoli, quasi idolothymum manducant: & conscientia ipsorum cum sit infirma, pollutur. Esca autem nos non commendat Deo: Neque enim si manducaverimus, abundabimus: neque si non manducaverimus, deficiemus. Videte autem ne forte hæc licentia vestra, offendiculum fiat infirmis. Hæc Paulus. Ex quibus verbis clare patet, licitum esse comedere ea, quæ immolata fuissent idolis, modo conscientia idoli non adesset. Verum est hoc ei esse licitum, si videret alium ex hoc scandalizari, à cibo alias licito debere abstinere, ne fratrem suum occasione cibi perderet. Nullus est ergo cibis nobis divina lege prohibitus: sed juxta licentiam nobis à Salvatore datam, de omnibus cibis qui apponuntur nobis, licebit manducare. Secunda est hæresis huic proxime opposita, quæ asserit, quoslibet cibos quoslibet etiam die, omnibus sine omni discrimine esse licitos, quantumlibet per Ecclesiasticas sanctiones fuerint prohibiti. Hæc est hæresis Joviniani, ut patet ex Augustino, libro de Hæresib. ad Quodvultdeum, cap. 82. Hic Jovinianus Monachus fuit Romæ tempore beati Hieronymi, contra quem idem Hieronymus scripsit. Est etiam error Vvaldensium, qui tempore quadragesimæ carnem, & ova, & reliqua prohibita comedebant, dicentes nullum esse peccatum hoc facere, imo dicebant Ecclesiam non posse talem ciborum abstinentiam præcipere, & in tali abstinentia à carnibus dicebant nullum inesse meritum. Hunc eundem errorem hoc nostro tempore amplexati sunt Lutherani, qui omni feria sexta, & sabbato, & in omnibus diebus quadragesimæ carnes esuræntate comedunt. Audivi ipsemet hoc mense, quo hæc scribo, videlicet in mense Maio, anno Domini M. D. XXXIII. à quodam viro probo Coloniensi, quod ipse eunte ad nundinas, quæ habentur Francfordiæ, quæ civitas est superioris Germaniæ, tempore quadragesimæ in quolibet ferme oppido ante Francfordiam nullus cibis illi, aut focis ejus, aut quibuslibet aliis advenientibus dabatur ab hospitibus, præter carnes: quas si aliquis respuebat ob temporis reverentiam, & Ecclesiæ statum, nullo modo illi volebant aut panem, aut vinum venale tribuere. Francfordiæ autem dicebat mihi rem miris agi propter nundinas, quæ tunc tempore quadragesimæ ibi habebantur, ut libentius ad illas quisque veniret. Dicebat enim toto tempore quadragesimæ carnem simul, & pisces omnibus propinari: neminem tamen ad aliquem cibum cogi, sed liberam cuique manere facultatem edendi quod libuisset. De eadem autem hæresi suspicionem non modicam præbuit multis Erasmus Roterodamus, vir utinam tam pius quam doctus: nescio an plene, & recte ab hac se purgaverit: suspicione: nam in multis suis scriptis apertissime hanc videtur docere sententiam: à quibus unum, & alterum indicabo lectori, ut ex illis coniciat quid ille velit. In epistola præposita paraphrasi primæ ad Corinthios, sic ait: *Mihi purior Christianismi videtur, magisque consensaneum Evangelicæ, & Apostolicæ doctrinæ, si nullum certum cibi genus præscribatur: sed admoveantur omnes, ut quisque pro corporis habitu vescatur, quæ maxime conducunt bone valetudini: non ad luxum, sed ad sobrietatem cum gratiarum actione, ac studio bonæ mentis.* Hæc Erasmus. Et in paraphrasi octavæ capituli primæ ad Corinth. sic ait: *Approbo quod dicit: Esca non commendat nos Deo. Cum enim Deus univèrsa creaverit ad usum humanos: neque quicquam à nobis exigat, præter vitæ pietatem, quid illud refert?*

Esca autem nos non commendat Deo: Neque enim si manducaverimus, abundabimus: neque si non manducaverimus, deficiemus. Videte autem ne forte hæc licentia vestra, offendiculum fiat infirmis. Hæc Paulus. Ex quibus verbis clare patet, licitum esse comedere ea, quæ immolata fuissent idolis, modo conscientia idoli non adesset. Verum est hoc ei esse licitum, si videret alium ex hoc scandalizari, à cibo alias licito debere abstinere, ne fratrem suum occasione cibi perderet. Nullus est ergo cibis nobis divina lege prohibitus: sed juxta licentiam nobis à Salvatore datam, de omnibus cibis qui apponuntur nobis, licebit manducare. Secunda est hæresis huic proxime opposita, quæ asserit, quoslibet cibos quoslibet etiam die, omnibus sine omni discrimine esse licitos, quantumlibet per Ecclesiasticas sanctiones fuerint prohibiti. Hæc est hæresis Joviniani, ut patet ex Augustino, libro de Hæresib. ad Quodvultdeum, cap. 82. Hic Jovinianus Monachus fuit Romæ tempore beati Hieronymi, contra quem idem Hieronymus scripsit. Est etiam error Vvaldensium, qui tempore quadragesimæ carnem, & ova, & reliqua prohibita comedebant, dicentes nullum esse peccatum hoc facere, imo dicebant Ecclesiam non posse talem ciborum abstinentiam præcipere, & in tali abstinentia à carnibus dicebant nullum inesse meritum. Hunc eundem errorem hoc nostro tempore amplexati sunt Lutherani, qui omni feria sexta, & sabbato, & in omnibus diebus quadragesimæ carnes esuræntate comedunt. Audivi ipsemet hoc mense, quo hæc scribo, videlicet in mense Maio, anno Domini M. D. XXXIII. à quodam viro probo Coloniensi, quod ipse eunte ad nundinas, quæ habentur Francfordiæ, quæ civitas est superioris Germaniæ, tempore quadragesimæ in quolibet ferme oppido ante Francfordiam nullus cibis illi, aut focis ejus, aut quibuslibet aliis advenientibus dabatur ab hospitibus, præter carnes: quas si aliquis respuebat ob temporis reverentiam, & Ecclesiæ statum, nullo modo illi volebant aut panem, aut vinum venale tribuere. Francfordiæ autem dicebat mihi rem miris agi propter nundinas, quæ tunc tempore quadragesimæ ibi habebantur, ut libentius ad illas quisque veniret. Dicebat enim toto tempore quadragesimæ carnem simul, & pisces omnibus propinari: neminem tamen ad aliquem cibum cogi, sed liberam cuique manere facultatem edendi quod libuisset. De eadem autem hæresi suspicionem non modicam præbuit multis Erasmus Roterodamus, vir utinam tam pius quam doctus: nescio an plene, & recte ab hac se purgaverit: suspicione: nam in multis suis scriptis apertissime hanc videtur docere sententiam: à quibus unum, & alterum indicabo lectori, ut ex illis coniciat quid ille velit. In epistola præposita paraphrasi primæ ad Corinthios, sic ait: *Mihi purior Christianismi videtur, magisque consensaneum Evangelicæ, & Apostolicæ doctrinæ, si nullum certum cibi genus præscribatur: sed admoveantur omnes, ut quisque pro corporis habitu vescatur, quæ maxime conducunt bone valetudini: non ad luxum, sed ad sobrietatem cum gratiarum actione, ac studio bonæ mentis.* Hæc Erasmus. Et in paraphrasi octavæ capituli primæ ad Corinth. sic ait: *Approbo quod dicit: Esca non commendat nos Deo. Cum enim Deus univèrsa creaverit ad usum humanos: neque quicquam à nobis exigat, præter vitæ pietatem, quid illud refert?*